

2368.

1322 d. 29 Nov.

Biskop ISRAEL i Westerås bortbyter  $\frac{1}{2}$  markland i Morby i Lagga socken till Ärkebiskop Olof, mot 17 örtugland i Tunsta i Lundby socken och ett örtugland i Wångsta i Dingtuna socken, hvarpå fasta skall gifvas.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Vniuersis presentes litteras inspecturis, Frater JSRAEL dei gracia episcopus et CAPITULUM, arosiense, salutem in domino sempiternam. Notum facimus vniuersis, quod nos cum venerabili patre. domino Olauo archiepiscopo vpsalensi, quandam permutacionem prediorum fecimus in hunc modum, quod videlicet eidem, dimisimus dimidiā Marcham terre in villa Moruby parochie laggaheradh cum omnibus attinencijs ipsius dimidie Marche, longe vel prope positis, pro qua idem dominus archiepiscopus, nobis et ecclesie nostre arosensi, decem et septem solidos terre in villa tunnastum parohie lundby, cum vno solido terre in villa wangstaa parochie dingitunum, cum omnibus similiter suis attinencijs, reddere et assignare curauit. super qua permutacione; testes seu firmarios dictos fastae, in publico pretorio, secundum leges et consuetudinem patrie, dari faciemus eidem. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. datum anno domini. M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup>. XXII<sup>o</sup>. in vigilia beati andree.

Sigillen nästan utplånade.

2369.

1322 d. 17 Dec.

Stockholm.

Abbedissan GERTRUD och KONVENTET i Clara kloster i Stockholm qvittera 40 mark pennningar, som Johan Ingemarsson, på Drotsets och Rådets befallning, utbetalt, enligt Hertigarne Eriks och Waldemars testamente.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

Vniuersis presentes litteras inspecturis Soror GERTHRUDIS qualiscumque abbatissa, totusque CONVENTUS sororum in monasterio sancte Clare stokholm, salutem in omnium saluatorem. Cum in gestis mortalium nulla cautela sit superflua, et exhibitor presencium discretus vir, johannes jngymarson, nobis quadraginta marchas denariorum assignauerit, de testamento clare memorie, dominorum quondam ducum swecie, erici et waldemari, prout sibi per nobiles viros, dominos, dapiferum et Consiliarios regni extitit demandatum. jdecirco hoc ipsum vbi oportuerit recognoscimus presentibus litteris, sigilli conuentus nostri signaculo consignatis. Datum stokholm, Anno domini, M<sup>o</sup>, CCC<sup>o</sup>, XXII<sup>o</sup>. die veneris infra terciam ebdomadam aduentus.

Sigillet skadadt, på en ur brefvet klippt remsa.